Nobilissime et Amplissime Domine

Quod votis omnibus multos annos hactenus optavi, ut vel in coram, aut litteris tui compellandi commoda occasio se daret, ejus me hesterno die damnatum esse est cur gaudeam, mihique gratuler. Idque eo magis, quod pararium rei habeo virum omni laude superiorem, Joannem Forestum, τὸν πάνυ; qui, quum solens suo more Principi ac Patriae adfectum testaturus ἑξαμετρικὸν ἐπίγραμμα scripsisset, Tibi in primis illud tramittendum esse censuit. Cujus rei pariter ac editionis curam, Thessaliam praepropere abituriens, mihi commendavit; quum, quo est erga me amore ad se in Collegium vocato primo omnium suarum elegantiarum copiam fecisset. Religioni ergo jure nobis fuit non extemplo tanti Viri desiderio et voluntati morem gerere; qui, quum Exuvias Silvaducenses litterato juxta ac Patriae et Principis amanti Orbi publicaret, etiam me collegam sibi legerat. Sed intercessit aliquid tum temporis meis conatibus, quo impedimento factum est, quominus inter tot olores anser strepuerim, meo mihi Panegyrico, adfecto qui erat, et augusteo cum Ajace in spongiam incumbente. Ex qua injuria recte et ordine profecto divinum tuum carmen vindicatum, et cum ejusdem Genii epistola ab Heinsio (quod nomen dignitates titulosque eruditis debitos nullatenus admittit, quia, vel Te judice, omnes antecessit:) praefixum est. Id sane, quoties Historiam hanc ipsam, incomparabilis et plane θαυμασίου viri donum, in manus sumo, plenus animi et admirationis nonnullo cum stupore lego iteroque. Sed cujus hominis encomio Tuae laudes deterendae non sunt, qui cum Homerico Achille, ac Naeviano Hectore alium praeconem, maxime laudatum Virum, ἐν ἀθανάτῳ ταυτηνὶ τῇ ἱστορίᾳ consecutus es. Nec pluribus tua jam-nunc tempora et curas, Patriae Parenti, Incluto Imperatori, et nunc iterum Victori, ac Triumphatori, sa-

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bocstadius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/634

cras morari fas est. Extremum Te oro, ut huic liberta-
ti, autorem talem agnoscenti et profitenti, veniam; mihi autem
eam gratiam concedas, ut hactenus fortassis etiam de nomi-
ne ignotum Tibi inter tui Nominis, Virtutis, atque Erudítio-
nis cultores me esse libens volens patiaris. Itaque po-
test fieri ut aliquando etiam eam imputem felicitatem,
^Tibi quæ me meaque studia et desideria, ὅλα ἀέρος ἔνδοθεν,
meo bono commendet. Jam voveo, ut Supremum Numen
cum Principe Te quoque, ipsi intimum, Patriæ in rem,
ætatem sospitem incolumemque esse jubeat. Vale,

Nobilissime et Amplissime Domine,
et me ama. Dab. Hornæ Westfrisiæ a. d.
XX. Gregoriani Septembris; Ao. Christiano;
CIↃ IↃ CXXXI.

Nobilissimæ Tuæ
Amplitudinis
Cultor

Abrahamus Bocstadius.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bocstadius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/634

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bocstadius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/634

Nobilissimo et Amplissimo Viro;
Dno Constantino Hugenio, Equiti,
Illustrissimo Arausionensium
Principi etc. â Secretis; Dno pl.
colendo.

Hagam; aut in castra.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bocstadius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/634